
…islaus

Collegii Scholar. Piar. Colores Lunae Morsztynae.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0004653


V
B
J
D

25

COLORES
LUNÆ MORSZTYNIÆ

PALLIDUS ex laboribus in Rempubl: impensis.
RUBICUNDUS ex Bellorum stragibus inspersus.
ALBUS in Candidatis ad quosvis Honores expressus, juxta Pöetæ dictum: Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

IN

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. STANISLAO

DE RACIBORSKO

MORSZTYN

Castellano Czernensi, Colonello S. R. M.

EXPRESSI

ET

Ad auspicatissimam Castellaniæ Czernensis possessionem ad ipsumq; ejusdem Curulis Senatoriæ ingressum

A

Regio Vladislai IV. Scholarum Piarum Varsaviensi Collegio, & cultu & calamo panegyrico

DEPICTI.

Anno Dñi Candidi & Rubicundi 1687.

VARSAVIÆ,
Typis Collegij Scholarum Piarum.

W.



Hactenus & bobus pigris, & curribus ibat
LUNA; coronatis ſed TUA perget equis.
Sidereæ tardas pecudes junxere poëtæ,
Pegaſe MORSZTYNIAM iunctus honore veheS.
Quatenus ad reliquos citiùs veniatur honores,
Pegaſe STELLA tibi ſubdita calcar erit.



PRÆFATIO

AD

ILLUSTRISSIMUM DOMINUM
Caſtellanum Cernenſem.



Cœlum ſe cum pagina manui TVÆ inſinuat, malletq; MORSZTYNIANAE LVNAE COLORES quàm ferre ſidera. ILLVSTRISSIME DOMINE. Fatigavit olim pondere ſuo Atlantis verticem ut Herculis portaretur dexterâ, nunc etiam impreſſos chartæ SPLENDORES invidet, Tuis ambiens geſtari manibus. Malis tamen GENTILITIAE LVNAE domeſticum tenere cœlum in

qvod

qvod ſe brevis extenuat pagina, qvæ abhac COLORVM excanduit luce, poſtqvam TIBI byſſum texuere merita. Illuſtri quidem LVNAE TVAE ſplendori tenebras noctes appingunt Atticæ, datq; huic colori qvas gignit umbras civilis Academus: illud tamen ſatis ſcitè deprecans, qvin pereunte menſium innumerâ ſerie Luna Tua funeſtum ignoret occaſum.

Ita vovet

JLLUSTRISSIMO TUO NOMINI.

Devotiſſimum

Collegium Varſavienſe

SCHOLARVM PIARVM.

LUNA palatinis obducit cornua vittis,
Sarmaticasq; novo irradiat fulgore curules.
Undiq; Morsztynio riguus micat ignis ab astro,
Lux fæcunda operum, melioribus edita fatis
Nascitur, augurijs plenum, jubar omine plenum.
Hĩc proceres, equites hĩc, magno hĩc agmine vulgus
Ingeminant properata novi compendia voti,
Spargit & ex omni præconia colligit ævo
Fama, per & populos volitat mundiq; recessus
Erecto clangore tubæ. Virtus incendia magnæ
Mentis ad ingenuos Mavortia suscitat ignes;
Ipsaq; se narrat vulgo, se prædicat Orbi.
Vistuleis super hæc proserpit Triton arenis,
Littoribus pompâ percussis applicat aures,
Festivos populi lusus juvat ære canoro.
Prosilit ipsa Thetys madido experrecta cubili
Concentusq; docet famulas depromere Nymphas:
Diffusæ læto celebrant in margine festum;
Pars choreas ducunt hilares, pars carmina scribunt,
Votaq; littoribus, memoriq; notantur arenâ:
Fulgida perpetuo Lechiæ Cynosura sereno
Objectis nunquã MORSZTYNIA LUNA tenebris
Victa, repurgatis cœlo dominantibus Austris,
Taliter in nitido vultu depinge colores,
Qualibus & Phæbus nubes non pingit opacas.
Tu quoties nostro flammas accendis Olympo,
Æmula Bistonio tenuatur Cynthia vultu,
Cumq; Tuam pleno vidisset Sidere LUNAM,
Decrevit tumidis excors Othomanus in astris,
Exortum spectare diem, quem sparseris Orbi,
Detrectat: nimium cui propria LUNA pudori.
At Tuus erubuit nunquam nisi Marte PLANETA
Sangvineo, meritis plaudit cûi tota triumphis
Lechia; MORSZTYNIũ omni sonat æthere nomẽ
Victoremq; heroa canit.

 Elog-

ELOGIUM PRIMUM
Pallida Luna pluit.
IN LITERARVM STVDIIS, & CVRA CIRCA BONVM REIP.

Pleno radiantem lumine MORSZTYNIAM HECATEN,
Et vel nativo jubare coruſcam,
Vel Senatoria fulgentem in trabea,
Utrobiq; Illuſtriſſimam;
Tantæ luci inaſſveta primo intuitu ſpectare nequijt pupilla.
Vnde vix attenuato ſplendore pallentem primâ acie intueri ſuſtinet;
Ampliùs deinceps auſurac
Vbi ad tenuiùs nictántē radium ſpectatricē exercuerit palpebrā.
Nec probroſum id Cynthiæ,
ſi pallore ſquallentem orbi exhibeat faciem,
nunquam ſinè benigno influxu conſpiciendam.
Et certè gaudet ad eam benefici planetæ ſpeciem tellus,
certa, tunc eum vel maximè ſuis timere malis,
cùm plurimùm expalluerit.
Nec id abſq; venturæ propediē felicitatis indicio,
quippe tunc commodo orbis ipſum cœlum
cogitur inſudare.
De hinc intenſiori palloris gradu enerves metiri vires
fallax eſto menſura;
cùm non ſemper labentis in deliquia naturæ index ſit,
at ſæpius ſolicito labori color hic nativus.
Apage erubeſcende rubor!
voluptuoſiori paſto ſagina
& ad Epicuri haram damnato gregi propri9
Neſcit ejuſmodi miniari purpuriſſo experrecti vigoris indoles,
niſi exprimere pudorem velit.
Ingloria equidem ceruſſa,
quæ pingere alia neſciat
præterquam erubeſcenda.
Imò
Fucūs hic plerumq; verecundiæ eſt nōn color;
Sæpiùs hac purpurâ infames mendici animi male tegūtur laciniæ
pluri

plurimiq; tunc cùm maximè erubuerint, minimè verecundi;
quasi omnem in genas effudissent verecundiam.
Tibi ILLVSTRISSIME DOMINE
impallescere libris,
solers sciendi cupido fecit ingenitum
Mortuos in familiarius evocare consortium.
(posthumas eruditorum, è sẽsu Aragonij Principis intelligi velim lucubrationes)
voluptuosissima Tibi consuetudo:
& quidni concolorem ijs indueres vultum?
Nusquã magìs deliciari visa Atheniẽsis noctua,
quàm ad Patritiam Tuam LVNAM.
Cui Tu ad nativos splendores non exiguam affundis lucem
è pervigili Cleanthis lucerna:
non indecorâ certè luminum permixtione;
quòd non minùs alendæ luci materiam ministret oleum,
quàm ceræ.
Vnitum Gentilitio Tuo PLANETÆ sidus
frustra quæsito compellaverit nomine
cælestis sphæræ scrutatrix Astronomia:
aurora est;
(individuo comitatu si unquam alias, nunc potissimùm PHÆBES sequax)
sed ea quæ Musis amica.
Et quæ immensitatem mentis Tuæ non explevit eruditio
ILLUSTRISSIME DOMINE?
Orbis Polonus ab ore Tuo pendere videtur,
quem aureo svaveloquentiæ Tuæ nexu tenes suspensum.
Vnde sive solutam altiori incedere jubeas cothurno facũdiã,
stupet civilem dicendi majestatem Curia;
sive metricis ligatam pedibus reptare cogas,
ubiq; plausus, ubiq; comitatur admiratio:
Vt fabulosum quondã Pòetarũ cõmentũ
Phæbum Cynthiæ fratrem cõminiscẽtiũ
verissima deinceps futura historia sit.
Aristoteles dominam, & primã sui motricẽ agnoscit Euripi
Gentilem Tuam HECATEN,
Quoties hæc ad objectum scientificæ impalluit paginæ;

toties Peripatheticus Meander uberiori intumuit cataclyſmo.
Et Archimedes ſuas Te edocuit figuras,
quas feliciùs in Martis arena efformares,
quàm ille in Siracuſano pulvere.
Adeoq; Magiſtra ſcientiarũ Matheſis omnibus Te numeris fecit abſolutũ.
Magni menſuram nominis exæquare;
omnes orbis angulos ſui famâ explere,
melior te docuit Geometria.
Gratum enimvero id univerſo orbi Polono,
& plauſum vel eo potiſſimum nomine meruit,
quòd hanc ingenij Tui culturam Patrio acceptam feras vomeri,
non alibi quæſito ligoni.
Iagielonia univerſitas ad eã ubertatem animum Tuum excoluit,
felici vel in primo aditu omine,
facilè abſtruſos difficultatũ enodandi nex9,
quòd penes Regium Iagielonis ſcirpum fruſtra nodum quæſieris.
Documentum ab exemplo Tuo capiet poſthuma ætas,
malè cuivis corpori extraneos cohærere animos,
quòd ab artifice natura non illi aptata ſpiritui organa
diſſonam plerumq; morum efficiant harmoniam.
Sit ſanè
quod à nativo evulſa ſolo planta altricem aliam non reſpuat humum,
at infrequens id fortunæ donum eſt;
cæcâ tamen hâc manuductrice poſſe quempiam extra periculum uti:
id verò vix credendum.
Sed anguſtius jam erat quod tanto applauderet actori theatrum
Polonia.
Quare nè unum Tibi circumſcribendo ſufficere videretur regnum
melior Macedo ILLVSTRISSIME DOMINE
alias in admirationem tui rapiendas terras adijſti.
Cœlum mutaſti:
quòd ingenio tuo eã convenire crederes intelligẽtiã
quæ ex Philoſophorum placito ſuum cœlum motrice agit imperio.
Et Germania quidem
non degenerem Polonæ alitis pullum,
Hoſpi-

hospitali Augustæ aquilæ suæ excepit nido;
jam tum solem intueri perosæ,
ubi primum ad Illustrissimum LVNÆ TVÆ jubar
avidam lucis poterat detorquere pupillam.
Chloris Gallica
suum tibi testatura candorem
Pleno sinu fragrantia tanto hospiti obviam effudit Lilia:
Nisi fortè nativis se exspoliare voluerit decoribus,
quò liberiori sinu Te excipere posset.
Solennia Patriæ vota impleturus,
id est ex professo Gradivi sequax futurus,
tyrocinium hic bellandi posuisti,
Victoriosissimo Nomini Christianissimi Regis Ludovici auctoratꝰ
quò jam inde eludere vices alternantis fortunæ
heroicâ virtute scires.
Nec indecorum id certè,
ibi rudimenta bellatricis ponere scientiæ,
Vbi Mars ipse suas artes ad inusitatam & sibi alias nunquam notam revocatas Regulam,
discere cogitur nec erubescit.
Ita Marte & arte instructissimus,
id est verè Polonus,
amabili Te excepturam amplexu Patriam repetijsti.
Et excepit illa;
quoq; indeficienter Te basiaret bona Mater,
os tibi linguamq; suam relinquere visa,
ut jam Polonâ lingua multi benè,
nemo Te diceret melius.
Audivit & probavit toties in frequentissimo conventu Curia,
ubi patuit,
quàm pectus haberes liberum
non proferendæ tantummodò voci
sed sentiendi quæ velles; quæ seties eloquendi,
adeoq; Te ad publica Regni Comitia Nuntium:
novorum bajulum critica etiam conviciari nequijt censura,

superante invidiam intemeratâ animi Tui integritate,
suspexit verò antiquarum propugnatorem legum acerrimum,
nè antiquarentur, pro virili annitentem.
Deputatus ad Tribunal Regni Judex,
ita Divæ Themidis tractare noveras bilancem,
ut si in quampiam partem aut invidia,
aut iniqua prægravaret dissimulatio,
nsuum Tuorum & verborum pondus eam ad justam mensuram
exæquaret.
Siluit in sacratiori hoc Areopago,
sive auro tinniens
& malè corruptam præfocans vocem Echo,
sive blandior Siren illice aures demulcens lenocinio,
personarum inquam acceptatrix conniventia:
ubi Tu cautior Vlysses,
si non ceras obturandis auribus,
sed eloquij mella funderes
dulcorandis æqui honestiq; legibus.
Et quidni generosas mentes
aut consilio aut eloquio in rectum animares sensũ?
si & effera barbarorum pectora.
in tuum velle & sentire flexaminâ incitares facundiâ
Cessit inglorius Mars Othomanicus
è Zorawnensi arena,
ubi eum ex commissione Serenissimi Regnantis
non minor Tu Pericle attonuisses,
Extimuit orientis fulmen,
quia non laureatus,
cum Barbara decerpendam manu,
Sarmatia non ferat laurum.
Non magis duos Soles,
quàm geminas uno cœlo non ferente Lunas
excedere ab indebita sibi ecliptica,
Otthomanidũm debuit Hecate. Eadem

Eadem Tibi & in Hungaria ad Strigonium æmula,
pari ſucceſſu & proprio excedere coacta cœlo.
Fabuloſam Amphioni non invidebis gloriam,
ad ſuaviorē lyræ concentū mœnia Trojæ conſtrueti
Vbi Tu extra fabulam diſertæ vocis modulamine
inacceſſas Strigonij rupes cogis in obſequium.
Optabili certè triumpho,
quòd valido ariete obſtantia murorum effringere clauſtra,
aut è voto Philippi Macedonis,
aureo aſello ignaviam hoſtilibus mœnijs invehere.
Bruta, quia à belluis victoria,
at verò indomitas mentes ratione ſubigere
hæc propriè victorem hominem decent trophæa.
Evocaret hîc in paginam venerabunda lucubratio,
ſive privilegio MORSZTYNII ſanguinis,
ſive politioris literaturæ omniſciâ eruditione
ingentes animas,
FELICEM MORSZTYN Vice Præfectū ſtabuli M.D.L.
Angliæ, Daniæ, Sueciæ,
ab obitis ad ſuos Principes legationibus
notiſſimum,
ANDREAM MORSZTYN Supremum Regni Theſaurarium,
extremis etiam orbis angulis
nomen non ignotum,
& ſexcentos alios,
quibus vel numerando recenſendis,
impar non ſufficeret eloquentia;
niſi quæ illos diſperſa beatos effecêre,
Tu collecta teneres,
& proinde in Te uno
compediatum tot heroum,
adoraret ſyllabum.

ODE I.

Applaudo votis: vix tenerum suis
Evolvit olim Te Tua fascijs
Lucina, suscepêre Musæ,
Castalijs & eburna primùm
Mersere lymphis membra; dein super
Molli reclinem margine, liliis
Rosisq; contexere; dulci
Calliope cecenisse demum
Sic ore fertur: pusio pusio
Quiesce, magni Pusio nominis
Quiesce, venturasq; somno
Anteveni leviore curas.
O! quantus olim, cum prope puberes
Attingis annos; quantus! ab arduo
Acervus impendet laborum
Pieriæ Tibi colle Cyrrhæ.
Tu doctioris plurimus otij
Et eruditæ laudis amantior
Pallebis ad Cleanthis ignem,
Pervigiles superando lunas.
Hinc & Poloni climatis audies
Traxisse doctâ corda Quiritium
Renatus Alcides catenâ
E roseis subeunte labris.
Tu Tu ipse pulchri Tullius eloqui
In Lechicorum concilio Patrum
Dicêris; aut divis ab ejus
Exuvijs recinêre Phœnix.
Vel qui tot urbes, regnaq; tot sui
In jura Pyrrhi traxit amabilis
Nitore vocis, vel Pericles
Fulmineo memorandus ore.
Hæc è novenis una sororibus,
Bene ominato carmine dum canit;
Apollo Parnassusq; totis
Aggemuit cum Helycone sylvis.
Et jam Polonæ suaveloquentiæ
Tu primus audis Tullius & Pater!
Regnantis hos in Te decores
Munifica cumulante dextrâ.

ELOGIUM SECUNDUM
Rubicunda flat.
INTER BELLORVM ÆSTVS.

HAbet vultus suum theatrum;
in quo proscenia effingit actor animus.
Qui nimiùm rudis esset si in ementita persona
veram retexeret historiam, sine mixtura commenti.
Comœdia animorum ornatum desumit à fuco,
quo si non miniatur, in scena deprerdit applausum.
Verùm
Non est ad decoris gloriam actori animo
si ad ingenium personæ se se non efformat.
Mutanda sunt faciei proscenia ad histrionis temporis vicissitudines.
Et MORSZTYNIÆ LVNÆ non vultus unus.
Vbi in plenum excrescit conspectum hic poloni Cœli oculus,
est famæ orbis & honorariæ felicitatis rota;
Ubi in hemicyclum desinit,
cornua iu arcum flectit, radios in tela fundit
se pharetrâ, se se jaculo, sese utitur arcu.
MORSZTYNIA LVNA cunctas bellorum possidet artes;
sic tamen variata suum solem non deserit vnquam.
Et quia in Gentilitia MORSZTYNIORVM Cynthia
non unus vultus nec color unus:
Infecerat illam pallor exesis in patriam curis.
Sed né hostem videretur expallescere;
irâ Gradivi incalescens eum imbibit ruborem;
quem hostilis affudit cruor.
Ad tantum ergo bellantis MORSZTYNIORū LVNÆ incendium,
etiam stylus in prælia contra hostis ferociam æstuat.
Videlicet
Sunt suæ eruditus calamus indeficientes
contra barbarum iræ;
qui inimico ebriæ tabo in hostilem desæviunt perfidiam:
Nunquam eos erigit pagina,
quos fortes viri stravere in arena martiali.
Nec papyrus mollior damnat flammas

 gaudet

gaudet si s[illegible] niveæ hostico tinguntur cruore,
Hostis bis sit miser,
si in acie ense transfossum
iterum stylus in membranis contrucidat.
Caliganti pennæ prodit hostem,
MORSZTYNIANUM LUMEN
Quem præliaris Anima, Martium pectus
ILLUSTRISS. D. STANISLAUS MORSZTYN
in acie stravit, de mænibus ejecit, in vrbe interemit.
Et quia tot annorum cumulis, ita bellis & prælijs adhæres,
yt non prius sis depositurus galeam, quam vitam,
priùs videris miles, quàm infans natus.
Nobiles ortu non tam vitam ex suis genitoribus,
quàm ausum ingentium animorum trahunt;
Et materno ex vbere non tam lac,
quàm spiritum exsugunt generosum.
Non nutrit, sed necat de se spes avis atavisq; illustris Infans,
quem niveis super cunis ligustrorum reclinem,
pulcher honos, croceusq; Phoebus perfudit imbri:
quem roseus pudor, virtusq; non populariter nascentem
risère, & supinis lilia imposuere membris.
Ille demùm in promontorium bonæ spe evocatur,
quem rigidis super, dum pænè primos fundit anhelitus,
cunis sagittarum reclinem,
Martis amor solidisq; Pallas,
infudit armis.
Non bene Gradivo lenonia dextera servit.
Emasculata anima, albicantesq; cyparissi de gente nepotes,
mollibus cubant culcitris non indoles nata ad Martem.
Et Te ILLVSTRISSIME DOMINE
in cunis hæres bellatorum gloria invasit,
& in medijs posuit cunabula telis.
Impauidus ferri, nec triste galeæ fulgur metuens:
reptâsti per scuta puer.
Is demum appares, à quo sagittarius Scytha interitum,
Patria tutamen expectaret.
Diem serenum occasus non aurora commedat.
vbertatem frugum maturum granum non tener flos persvadet.

Hic

Hic tamen Martialis Tuæ gloriæ segetem
ab infantiæ diluculo auspicamur.
*Generosam quippe indolem non bene annorum numerus definit:
à virtute illa adultoq; animo suffragium desumit.
Vt enim in eminentioribus collium gibbis palmites,
ita animosi Heroum spiritus præ alijs citiùs maturescunt.*
Adolescentis Martis tyrocinia lilijs consecrando,
eorum veteranos Tuis heroicis ausis
ad ruborem usq; colorâsti.
In Patriæ visceribus Tibi hostilis Bellona ad manum non fuit;
postliminio inquirenda erat,
& armorum Tuorum fulgoribus in aciem evocanda:
né nova victoriarum & gloriæ deesset materies.
Non solùm Tibi dulce & decorum, pro patria occumbere,
verùm & pro exotica majestate peramabile.
Né duntaxat unius Coeli commodis natus videaris.
*Augusta enim indoles ni in plures diffudatur usus,
fit angusta.
Ad plura decóra enutritus animus
uno præclarè non exsatiatur facto.
Quì gloriosis orbem implet gestis, patrio non potest arctari limite.*
Vt non formosa sed formidolosa ostentares arma,
non lilijs nec exoticis lapidibus præliaria insculpebas gesta,
sed hostium cervicibus.
*Bracteatus Mars scenam in Bellonæ theatro agit, non militem.
Is enim non vincere hostem intendit, sed terrere:
quasi vibrata oculorum acies victoriam parturiat;
& non bellatrix dextera suiq; periculis animus succrescens.*
Non auro neq; tinnulis pugnandum phaleris,
vbi ferro res eget & manu & magnis animis.
*Pictus pharetræ timor non debellat hostem,
nec levis in casside plumarum superbia hostilem
tumorem deprimit.
Cristæ virum non faciunt, nec suis corallys arguta colla
sed incompti vultûs ferocia,
& genæ, quas cicatricosa adornant vulnera.*
Ab exotico ergo redux sole in Patriam,
non tam in illius arva, quàm arma descedisti.

E pe-

E peregrino solo alij semper aliquid peregrini adferendo
seipsos ibidem relinqvunt;
Tu patriæ Te eundem in hoc non reddidisti
quòd cumulatior gloria redièris.
Verùm & hîc te feriari seges ferri non permittit:
eo tempore in Moschum strinxisti ensem,
quo & ignavia nollet vincere, & magnanimitas desperaret.
Cudnovienses tamen campi non sine miraculi stupore extitêre,
quòd ille Moscuæ Bucephalus iubam jugo misit,
nesciens insolescere sub fræno Alexandri Sarmatici;
illos Boreæ canos ad ruborem ita consudisti
vt suis frigidior nivibus extiterit,
hanc concipiendo flammam quam conscientia imbecillitatis accēdere
Illa Æolia tantam Cosacorum in campos Cudnovienses
effuderat tempestatem;
Vt contra armatam hyemem & inclementiam Coeli
præliari videreris.
Iurata & irata in gentem nostram Moscuæ odia
quemq; inflammabant ad enses, præcipitabant ad cædes,
unicuiq; atrox furor tela ministrabat:
Læte subibant lethum, dummodò
Poloniæ involuerentur ruinâ,
Mirùm illas nives tanto belli potuisse ardere igne,
tantis glaciem non dissolvi flammis.
Hos motos Æoliæ turbines
non plus æstimâsti quàm ventorum minas;
qui post exertam violentiam desinunt in aerem quietum.
Sed hæ victoriæ rudimenta tibi fuerant
quæ alijs præliando finem constituerent.
Et né vno modo victoriosus videaris,
secunda adverso tamen Marte inis prælia.
Ferro tuo adhuc primis victorijs calente,
iterum se cædendus sub Chocim offert hostis.
Sed cum hic lento aggrediebaris ense,
vt diutius asservares ad necem.
Intra fortunæ blandientis gratiam reponit barbarus, si citò perit.
Festinus ictus levis est, perniciosior si eum segnis incidit dextera.
Altera mors est hosti, diu expectare mortem;
citòq; vindex in cervice non sentire ferrum.

Non

Non diū tenuit sua fræna calor;
Eccur cadaver quod pavor suus exanimaverat,
ad ulteriora protraheres funera & fata?
Assurgis ingentibus ausibus in hostem,
qui solùm in Te vocē elevat, quia ensem non potest;
equos calcaribus incitat quia ipse torpuit
vel eò agonizantem crede, quia sic torpuit
Vltimus hic morientium conatus ac truces minæ
non plus faciendæ quàm anguium,
qui secto corpore caudâ demum ferociunt.
Sed quia medios triumphos secat vincendi securitas,
Nec tu evitâsti periculum;
qui repetis pugnas, vt corrigas virtutem.
Nec error nec casus dat victoriam, sed audax animus:
ideò impetum facit, ut ruat.
Plus semper sperare victus potest, minùs victor.
post devicta prælia bene iterum acriter dimicatur;
repetitis ictibus allisum caput erigitur,
nec semper procumbit ad pedes victoris.
Assurgit in hostem à suis major damnis & occasu,
verùm nec hîc Tu sine vulnere, nec hostis.
Notavit te hâc cicatrice barbarus à quo jugulum suum
perniciem expectaret.
Videlicet docuisti etiam vulneribus sua non deesse vulnera,
cùm te illis opponis.
In dispendium vitam Tuam non das, sed proijcis:
nè prius tibi pericula quàm tu illis deesse videaris;
reliquisti documentum.
In causa patriæ defendendæ vitam posuisse militi,
esse summum decus.
Virtus tecum nata, quid moliri non ardet?
Assiduus campis aderas, rarissimus urbi,
vixq; salutatis laribus, vix conjuge visâ,
deterso necdum repetebas sangnine campos.
Videlicet semel gloriæ gustu ebrius animus sēper fervet in prælīū.
Iterum te ad militaris gloriæ messem Parkan evocat,
ubi non parcus sanguinis, totum in Patriæ decorem dispensâsti.

Non paucitas Tuorum ab ineundo dissvadebat prælio;
Spreuisti militem metiendum virtute, non numero.
Illius robora æstimanda, non numeranda.
Sat est grandis exercitus, qui numerum viribus exæquat.
Robusta manus, non nomina multa bellant;
& vis præliandi hominibus inest, non nominibus
Is tantùm ad bellum gerendum numerum requirat,
qui fortes viros à castris excludit.
Nomina tantùm virorum, non viros, in hoste reperisti
ILLVSTRISSIME DOMINE
qui ideò campo copiosior effusus,
vt tuis armis ejus numerum diminueres.
In hac pugnantium acie, militem non ducem egisti,
non dignitate, sed bellica virtute, cæteris supereminens.
Adorare hîc tuam virtutem suâ ruinâ hostis debuit;
quam oderat.
Et quia in ense salutē nō invenit, in fuga eā quæsivit,
cùm armis animum pugnandi abjecit;
deserendo campū, Tibi gloriosam reliquit victoriā.
In expugnando fortalitio inexpugnabliis.
Benè profectò per se Strigonium stetit,
vbi Tauricanus per te cecidit ingloriè.
Confluxerat ad hanc vrbem feralia tractaturus mercimonia;
ut tu ea persolveres gladio.
Optimas civitati fecisti nundinas,
in quibus cives mercati sunt vitam, hostis mortem.
Solus sufficiens inventus es,
qui ad hanc vrbem confluenti inimico,
pro perfidia, à longo tempore contracta exolveres debita.
Invenisti ad Danubium venam victoriarum:
quia in illas semper erectum gerebas animum, & ensem.
Ad delendam perfidiā cū copiosè fusus sanguis non sufficeret,
toto eam voluisti abluere Danubio.
Parum existimâsti, rectè factorum tuorum in solido
vestigia impressisse, in lubrico etiam relinquis non obliteranda.
Né

Né solùm arva splendida tua pererraret victoria,
eàdem & latè patentis Danubij ostia implêsti.
Triumphorum tuorũ splendorẽ campi nequiêrunt,
eundem in flumina derivâsti.
Fortunatiorem Te Timotheo! ubi non jam
somnianti fortuna, sed pugnanti,
velut in retia, in gladios impellebat
hostilem feritatem.
Benè in hoc Martis balneo venas adaperuisti,
è quibus Tibi gloriam, Patriæ securitatem educeres,
optimus Civium Conservator.
Et né aliqua terris superesset labes.
naufragium in proprio tabo hostilibus dedisti catervis.
A Martijs LVNA Coloribus
Christianus & FRANCISCVS MORSZTYN
non degeneres,
ut bis essẽt magni, in titulos majorum excreverunt.
Et clypeis & mole pares, stat castis utrisq;
Sydereis hirsuta jubis loricaq; cursu
Æstuat, & largo satiatur vulnere cornu.
Magnis eos Bellona alit trophæis;
cujus nutrimentum in eam hæc nomina
producet augem,
ut majoribus, præliorũ passu deveniãt in maximos.
Ac proinde ILLVSTRISS: DOMINE
eo itinere in purpuram processisti,
quò nonnisi magni & in sæculorum historiam
ituri gradiuntur.
Scilicet
RVBEO GENTILIÆ TVÆ LVNÆ COLORE

ELO-

ODE II.

Discenda vates metra volantibus
Inscribo chartis : Quælibet eximit
Nos fama Fatorum procellæ,
Magnanimis sociata factis.
Sed ad supremæ culmina gloriæ
Non una ducit semita, scilicet ;
Hic per librorum tædiosos
Grande decus meruit labores ;
Ille erudito junctus Apollini,
Metit virentes carmine laureas ;
Hunc astra scrutantem æviternis
Vranie redimit coronis ;
Sed qui cruento cinctus acinace ,
Victrice laurus colligit ægide
Et hoste devicto Paterna
Emeritis veteranus arva
Tuetur armis , eminet altiùs ,
Summoq; primos in Capitolio
Meretur lucrari colossos ,
Perpetuæ monumenta laudis!
Quis tincta multo sangvine nesciat ?
Morstinianæ prælia dexetræ
Tuasq; STANISLAE lauros
Innumeris meritas triumphis?
En quot Poloni limes agri Tyras !
Quasi cruentis decolor imbribus
Evolvit acervos Dacorum
Quos rapido Tua dextra quondam
Detrusit amni ; quot Tibi Thraciis
Surgit trophæis Odrysio prope
Vienna iam subacta Marte ,
Et Geticis minor Ister armis !
Te pro recepto Strigonio canent
Emancipati Pannonis oppida,
Patresq; grandævæq; Matres
Scire suos cupient Nepotes :
Post pulsa sævi Bistonis agmina ,
Per MORSTIANAS Strigonium manus
Murosq; sublimes redîsse
In Lechici nova jura Regis.

ELO-

ELOGIUM TERTIUM.

Alba Serenat.

IN CANDIDATIS AD HONORES MORSZTYNIIS

Bene habete ô Sarmatæ!

Novâ Syderum prole Coelum sobolescit.
Ex quò in terris Illustris efflorescere cœpit LVNA MORSZTYNIANA;
polo Lunam nè invide Polonia.
Et hæc Solis Soror est, nisi potius Parens credi deberet,
Quæ ILLVSTRISSIMOS Viros genuit.
Erras Astrologe, cladem ab hoc Astro divinando.
Romanæ nobilitatis insigne quò à plebe secerneretur Luna fuit;
idem nunc nobilitatis signum nobiliores Suis ingenerat spiritus.
Proinde,
Optimè Tibi ILLVSTRISSIME DOMINE
Non lampada sed Astra tradiderunt majores, præsagi videlicet:
quòd à Te Domûs Vestræ Fortuna implenda esset.
Crescens scilicet relinquenda Tibi erat Luna,
vt in plenum Orbem cùm tandem per Te creverit,
reliquam non decrescere posteritatem æmulâ virtute docuisses.
Alienæ quippe culmen gloriæ, propriæ stimulus probitati.
Magni præeuntium ad honorem passus, vestigia sunt subsequentium.
Vnius Felicitas; acus Magnetica est alterius;
quem nunquam quiescere permittit, donec suum inveniat Austrum.
Ergo ejusmodi cynocephali
Sapiant hujus LVNÆ ingenio,
quæ multorum capitum satura cerebro,
erraticorum Syderum tenere nequit commercium.
Respiciant similes talpæ ad ejus lumina, quocunq; se illa intulerit;
coelum secum inferat, vel reperiat.

- - - - non ego tetricas
Pavebo noctes: Tu serenas.
Luna dies dabis inter umbras.

Prodigium censeri dices:
Perenne ei crescendi studium, nunquam decrescendi.
Omnem ferè exclusit Lunæ levitatem, nisi quòd in hoc suam non teneat

constantiam, dum vno splendore non contenta
etiam à maximis ad ea procedit, quæ maximis maiora sunt.
Habet id longè felicius coelesti,
quòd citra defectionis periculum lucet perenniter,
nec timet deliquium, quam virtutis vigor nunquam destituit.
Ad ejus auspicata incrementa, quoties animi
Patriæ accreverunt, toties hostibus decreverunt.
Ipsa etiam turget pagina
tam nobili dotata propagine, illustriorem quoq;
seipsam fatetur, ejus lumine irradiata.
Ea certè ILLVSTRISSIME DOMINE
LVNÆ Tuæ proprietas, ut sitientibus flumina dicēdi infundat Oratoribus,
talis Majestatis fulgor, ut Regina animorum
Eloquentia decorem ab eo mutuetur.
Multorum ingenia in cursu gloriæ cessare oporteret,
priusquam aliquid de Te inciperent.
Multi seipsos in Tuarum immensitate laudum deperderent,
nisi tutissimam lucis tantæ semitam investigarent.
Incerebrari magis sibi videntur, qui immortalis Tuæ virtutis succum,
encomiasticum per calamum in chartam eliquant.
Tantus namq; eras vix esse in luce coepisti,
ut altitudinem animi sublimia quantumvis ingenia attingere
haud potuissent, nisi virtute agentis Tui Planetæ excelsius
elevata id sibi præstitum gratularentur. Sed
Neq; magnitudinem Indolis vel Geometricis commensurassent lineis,
immensâ ejusdem Planetæ circumferentiâ destitutæ.
Generosis mentibus flammæ activitas, vbi concipitur, in altum agit;
mox in cœlum librata, nullo remigio adæquanda est.
Ad fulguris morem se componunt:
erumpit hoc cum aditu, si non terrore omnium,
utq; illud deprehendas vbi audisti, invenies neminem.
Sphæra est magna Indoles, vndequaq; ostendens medium,
quâ parte incipiat aut desinat, cui manifestum?
Primo Naturæ passu
In eo non vulgaris conditionis stetisti fastigio,
ex quo totum gloriæ jubar, & cuncta Fortunæ bona
commodè spestasti, & expectasti.
Qui alijs ultimus, Tibi in ipso vitæ limine primus vivēdi gradus obtigit,
seq; viam ad honores præbuit, ubi metam pluribus.

Ita

Jta beato agnati SYDERIS influxu
in Magni ſanguinis Tui Pelagus influxiſti,
ut plùs ei affudiſſe videaris, quàm inde hauſiſti.
Noluiſti Majores Tuos ita in Tuam laboraſſe gloriã, ut non eis
velut præmium paria facinora & actus æmulos redderes.
Etiam illos ornas, à quibus ornatus es,
quorum antiqua magnanimitatis & Fortitudinis prodigia,
glorioſa concertatione, pluribus collectis in Te unum
actibus provocas, nec caſu vel ſorte triumphas.
Tũc ſanè oſtẽdiſti ſcatebrã poſſe mutari in Oceanũ,
cum Te ejusdem ſanguinis profunditas guttã ſui
accipiendo, Abyſſum decorum ſcrutaretur.
Sæpe fit experiri incendium, quam putabamus ſcintillam.
Radium etiam vertit in Solem Illuſtris ortûs luminare.
Adeò ILLVSTRISSIME DOMINE
Familiæ Lumina virtutum luce gemináſti;
Vt, ſi natalium ſplendorem non inveniſſes, effeciſſes:
Ne aliquid faſtis deberes, factis omnia promeruiſti; non neſcius:
Parum prodeſſe Illuſtrem ortum, quem umbratica vita infamat.
Nec cænoſum laticem à perſpicaci fontis claritudine commendari:
Non ſolis majoribus, verùm moribus etiam ſplendidè cenſeri glorioſum.
Procul es poſitus ab illis,
Qui eo ſolo ſunt apud ſecuturã ætatem memorandi,
quod nihil memoriâ dignum geſſiſſent.
Quid autem in Te obſcurum? quid in glorium? qui ex ampliſſimo Tuæ
Originis Patrimonio nihil magis poſſediſti, quàm virtutes.
Quare creſcere tantùm debebas,
quantùm vegeta virtus ad nominis amplitudinẽ præbuit alimẽti.
Et verò ita hucuſq; creſcis per Honores,
ut majora Honori addas incrementa; dubiumq; facias
Se ne Tibi, an Te ſibi Honor gratuletur.
Alijs nempè nobilitas generis, ſunt veluti pedes, quibus
ad ſacram Fortunæ aram peregrinantur; Tibi in comitatu
meritorum, auxiliatur integritas,
Maluiſti ſemper arduo tramite,
Laneâ Romanis relictâ viâ
ad quosvis eluctari apices, Tuo doctus judicio:

Meliùs

Meliùs stare ad ferri grandinem militem in acie,
qui ad pruinas & imbrem obduruit in campo.
Securiorem quemq; de laurea, quam
sibi infregit non alterius
manu porrectam ultrò acceptavit.
Vnicum tantùm statorem in Capitolio Iovem destinâsti
ad aras, reliquos statores ipse cum sis Celerinus,
ad focos damnâsti.
Sic in solo ad præclara cursu quiescis,
& stare, nisi in motu ad ampliora
generosus sanguis Tuus semel incitatus ignorat.
Iure Te Familia Tua Heredem cæli fecit,
qui Gentilitij Stemmatis indolem
in Te derivâsti:
cum à Sarmatico SOLE
lucem in collatis Honoribus usurpes,
VEXILLIFER ZATORIENSIS primò creatus,
rectè bellicum signum alijs præferre visus es;
Qui toties signum Bonæ spei
Patriæ extulisti;
Iam verò, quis Te non videat
plùs cæteris astris ab hoc SOLE accepisse?
ubi modò ILLVSTRISSIMVM
supplex adorat calamus.
Et licet vel absq; Purpura, Purpurati nomen merueras,
suffragio effusi pro Patria sanguinis;
nunc tamen meritò Senatorio
rubescis murice, qui nihil erubescendum,
in Bellonæ oculis, aut Regni in facie unquàm admisisti,
Hæc est non illicita Purpuræ ambitio,
ut eos solùm ambiat humeros,
qui suo vel hostili profuso sanguine
sagum sibi purpurârunt.
Non omnium tabernas Honor involat,
Regia hæc volucris vel in proceris
consanguinitatum nidificat Arboribus,
vel ad Martij, pectoris commoratur Marpesias.
Tacent jam
veritatis commentatores; magnam Deorum Matrem
Lunæ accommodam vestem aptare non posse,
dum Tuam accipiunt,

cui

cui major Mater Polonia quamcunq;
obtulit, non indecorè eam semper induit.
Æquè ista LVCINA
in Toga luxit Patriæ,
Æquè hæc PROSERPINA
in sago fata hostibus direxit.
An ergo immeritò Tibi Oratorios evolvimus orbes?
quem super Senatoriæ curulis rosas, Regius
Honor & Tua virtus locavit:
Meritò exarandis Tuis coloribus obsequentem
trahis dextram; qui omnium in Te civium
amorem convertisti.
Non indebitè ab eloquentia requiris præconia,
qui per hostium vulnera celebrandis Tuis laudibus, ora
aperuisti. Ita est:
Meliùs apparent in triumphi die,
qui bellorum noctem exegerunt.
Nemo potest perdere operam & oleum, si pacem quærendo:
oleam invenit.
Ferat exultans palmam, quam quis suis accepit palmis.
Altiores alijs conscendunt sellas,
quibus bellatorem equum, dum tuba vocat
ascendere non molestum.
Sedent in Curia primi, ultimi asperso ex cædibus campo redeuntes.
Quid tamen novos Tibi gratulemur honores,
Qui apud Te hereditariâ in domo Honorũ genitũ, novitatis nomẽ misit
Satis adultam oportet esse, imò
in sinu gloriæ senio confectam Famam Vestram,
quæ ab ipsis usq; Fortunatissimis Insulis
per latè porrecta marium spacia
ad istas terras advigâsse probatur;
Dum in illis Aquaticæ militiæ Ducibus nimirùm:
Avis tuis ARCISZEWSCIIS
à VLADISLAO IV.
Rege Poloniarum, in Poloniam evocatis,
ab Orbe nostro salutaretur.
Primo illi; Alter
Apud Daniæ Regem, alter apud Hollandos
Antesignani, demùm per IAGIELONIVM
manipulum adunati, in Reipub. Polonæ
corpus còaluerunt.

Luxit subitò Othomanica Luna, vix MORSZTYNIANA
In hoc Zodiaco eluxit.
Fatali illius cornu petita, inducias rogavit.
Certè à tanto Principe quæsiti Heroés
nihil vulgare, nihil commune aliorum vitæ adferre poterant;
Opobalsamum redolent, quos Phænix frutices portat.
Aurum est quidquid à Mida, Rosa, quod
calcatur à Perseo.
Uniones parit Oceanus, ranas fovent paludes.
Vivebant illi magneticâ plenè vi,
ferri tantùm chalybisq; avari,
ubi ad Polonum Septemptrionem spiritus converterunt.
Sola tantùm sanguinis diluvia ad
temperandos ardores exoptabant,
ita ardebant in Poloniam amore.
Exhorruit sensitq; hostis eorum dexteras, tot prælijs
exercitas: Fulmina Lechia credidit,
pernici celeritate
in tuendo res bellaq; conficientes.
Pedibus alij in possessionem, perennis memoriæ eunt;
illi manibus & armis.
Non per scalas ad immortalis Capitolium nominis,
sed per dejecta hostium capita ascenderunt.
Quantam exinde ab eodem
IACELLONVM manipulo gloriæ messem
collegerunt, documento nobis
tot exaggerati
in æviterna posteritate felicitatis honorumq; acervi.
Ideo quippe magnæ istæ animæ, illa
venalia posthumæ Famæ pectora
provocabant enses, ut
sui sanguinis purpurâ adornâssent suos:
Adeoq; istæ binæ Bases
Vobis posteri
intra domesticos Penates ædem honoris erexerunt
ut non hospitem tantùm; sed nobilem
Domûs Vestræ Inquilinum, imò
hereditarium Honorem haberetis.

Et

Et ne tantæ molis Fabrica
alicui rerum subijceretur vicissitudini
(*Siquidem nihil tam firmum aut stabile est cui non immineat aliquando periculum etiam ab invalido*)
Ideo bene hæc magnificentia ædium conservari potuit
postquã ARCIECHOVIANA Domus
MORSZTYNIANÆ Associata est.
Tu namq; ILLVSTRISSIME DOMINE
ARCIECHOVIA Matre progenitus
quid aliud Tibi ominari velis? præter id:
Nunquam Te humilibus tenuis sortis
inhæsurum casis; sed turritis
magnanimitatis arcibus muniendum.
Meminit adhuc Patria;
Cum in Gallijs, Gallici planè Hercules
è nostra Polonia MORSZTYNII
Regum internuntij
aureis oris suis catenis totam revinxere Galliam
& inter ejus Lilia, Oratores
planè florentissimi, herbam
sibi porrectam accepêre.
Sed & hodie adest hujusmodi Roscius
SEVERINVS MORSZTYNIVS
Qui apud Principem Brandeburgicum
scitè utramq; suam & Principis circumfert dignitatem:
Nempe
Secretarium statûs Brandeburgici agens.
Magna ista sunt;
Majora tamen Tu ILLVSTRISSIME CASTELLANE
in Te derivâsti, ut etiam Oratorijs Hiperbolis,
Tuis gestis fidem facias.
Quorum grandem syllabum si texere vellem,
nec Arachnes filum, par ei texendo judicarem.
Hos Domûs MORSZTYNIANÆ Splendores
postquàm omnes Tu unus expressisti,
Dignus es: ut
Inter continuas successuum, & Felicitatum Serenitates.
Serus ad vesperum vitæ abeas.

ODE III.

EXcedat emptis quisquis honoribus,
Ad altioris stemmata culminis
Prorepit, & summas curules
Aurifero licitatur amni.
Odit pudendæ merce pecuniæ
Missisq; turpi muneribus manu
Honor parari; promptus emi
Vel meritis, vel amante magnas
Virtute mentes; *ut vehat aureo*
Ad alta honorum te tua gurgite
Fortuna, ridendum sub ipso
Naufragium patiere portu;
Inter tumentes ni meritis gravem
Virtus carinam dirigat Africos,
Seu Typhis eligat vocari
Seu melior Palinurus ipsis
Amatus astris. Prima sit hæc satis
MORSTINIANI *gloria sanguinis:*
Virtute bellicâq; laude
Promeritos tenuisse fasces.
Quis ille? cunctis laudibus altior
Æquum coruscis sideribus caput
Infert, secuturosq; primus
Prægreditur titulis nepotes.
Agnosco frontem, nosco micantium
Fulgur genarum; quàm! similis Tui
Invicte STANISLAE *vultus,*
Cum timidos agitare præ Te
Es visus hostes. Sic Tuus igneis
Avus petitos fulminibus Dacas
Virtute pellebat decorâ,
E patrijs Iovis alter oris,
Neptunus alter, cærula Baltici
Sortitus olim littora Nerei.
Quis regna regnantumq; vates
Enumeret genus omne divûm?
Tu meta vatum, Czerna cui suas
Submittit arces. Cresce faventibus
Fatis Polonis, antequam inter
Sidereos numerêre Divuos.

